Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

ut inter se reperiant non esse contrarie sicut non sunt. Et hoc quomodo reperitur. nisi attendatur quod iam supra disputavimus. fit de locis in quibus sumus premente persecucione fugiendum esse Christi ministris. quando ibi plebs Christi non fuerit cui ministretur. aut potest impleri per alios necessarium ministerium quibus eadem non est causa fugiendi. sicut in sporta submissus quod supra memoravi fugit apostolus cum a persecutore iam proprie quereretur. aliis utique simile necessitatem non habentibus a quibus illic ministerium absit ut desereretur ecclesia. Sic fugit sanctus Athanasius Alexandrinus episcopus. cum eum specialiter apprehendere Constancius preceperat imperator. nequaquam a ceteris ministris deserta plebe catholica que in ecclesia commanebat. Cum autem plebs manet et ministri fugiunt. ministeriumque subtrahitur. quid erit nisi mercenariorum illa fuga dampnabilis quibus non est cura de ovibus. Veniet enim lupus non homo sed diabolus. qui plerumque fideles apostatas esse persuasit. quibus quotidianum ministerium dominici corporis defuit. et peribit infirmus in tua non sciencia sed ignorancia frater propter quem Christus mortuus est. Quod autem ad eos attinet qui in hac re non falluntur errore. sed formidine superantur. quare non potius contra suum timorem domino miserante atque adiuvante fortiter dimicant. ne mala sine comparacione graviora que amplius sunt timenda contingant. Fit hoc ubi dei caritas flagrat. non mundi cupiditas fumat. Caritas enim dicit. quis infirmatur et ego non infirmor. Quis scandalizatur et ego non uror. Sed caritas ex deo est. Oremus ergo ut ab illo detur a quo iubetur. et per hanc

magis timeamus ne oves Christi spiritalis nequicie gladio in corde quam ne ferro in corpore trucidentur. ubi quandoque quocumque mortis genere morituri sunt. Magis timeamus ne sensu interiore corrupto pereat castitas fidei. quam ne femine violenter obstuprentur in carne. quia violencia non violatur pudicicia si mente servatur. quoniam nec in carne violatur. quando nec voluntas pacientis sua turpiter carne utitur. sed sine consensione tolerat quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides vivi extinguantur deserentibus nobis. quam ne lapides et ligna terrenorum edificiorum incendantur presentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spiritali victu necentur. quam membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur. non quia ista non sunt vitanda cum possunt. sed quia potius ferenda sunt quando vitari sine impietate non possunt. nisi forte quisquam contenderit non esse ministerium impietati necessarium. An non cogitamus cum ad istorum periculorum pervenitur extrema. nec potestas est ulla fugiendi. quantus in ecclesia fieri solebat ab utroque sexu. atque ab omni etate concursus. aliis baptismum flagitantibus. aliis reconciliacionem. aliis eciam penitencie ipsius actionem. omnibus consolacionem et sacramentorum confectionem et erogacionem. ubi si ministri desint quantum exicium sequitur eos qui de isto seculo vel non regenerati exeunt vel ligati. Quantus est eciam luctus fidelium suorum. qui eos secum in vite eterne requie non habebunt. Quantus denique gemitus omnium et quorumdam quanta blasphemia de absencia ministrorum et ministeriorum. Vide quid faciat malorum temporalium